Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1415

Quelle:
Copyright:

IX. *fol.* 217. absque Titulo: *Andreae de Eſcobar* O. S. B. Epiſcopi tunc *Megarenſis Gubernaculum Conciliorum*, quod incipit: *Ad perpetuam conciliorum generalium memoriam ac ipſorum reformationum fiendarum* &c. et editum eſt ex *Cod. Helmſtad.* a quodam Monaſterii *Mellicenſis* in *Auſtria* Profeſſo *Baſileae* deſcripto per *Hermannum von der Hardt* T. VI. *Concil. Conſt.* p. 139. Alterius *Cod. Vaticani* meminit *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat.* L. I. ubi de Autore *Andrea* loquitur. Sed et noſter Codex *Baſileae* lucem vidit; ita enim ſubſcribitur: *Scriptum Baſilee tempore concilij generalis ibidem celebrati Anno verbi incarnati Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Sexto. A natiuitate vero chriſti Anno &c. 37. XXVII. Marcij.*

X. *fol.* 262. *Collecta quedam de modo perſoluendi ſeptem horas Canonicas.* Incipiunt: *Septies in die laudem dixi tibi, ut in Pſ. 118. Quamuis enim Deus omni tempore ſit a nobis laudandus* &c. *Henrici de Langenſtein* dicti *de Haſſia* Opuſculum eſſe tradit *Trithemius*, et Codex *Mellicenſ.* inſcriptus: *Tractatus de Paſſione Domini per ſeptem horas Canonicas.* Vide tamen, quae de eodem ad Cod. DLXXX. dicturi ſumus. Lucem, ut puto, nunquam vidit, et nobis ſubjuncta habet barbara quaedam *carmina* de Horarum Canon. recitatione, quae incipiunt:

Sincopa percurſus vaga mens erronea verba
Horas dicendo ſunt ut fulgur fugienda &c.

CCCLXVIII.

309 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 279. f. probe ſcriptus continet *Pauli de S. Maria* e Judaeo Chriſtiani et Epiſcopi *Burgenſis Scrutinium Scripturarum.* Folium *primum* deperiit, ideoque initium eſt ab his *Prooemii* verbis: *hec ille, que quidem obumbraciones et apparentes contradictiones* &c. Cum de vaſto hoc Opere jam ad *Cod.* praeced. ſermo fuerit, non niſi clauſulam praeſentis Exempli adtexam. *Explicit dialogus qui ſcrutinium dicitur ſcripturarum compoſitus per Reuerendiſſimum patrem dominum paulum de ſancta Maria ſacre Theologie eximium profeſſorem Ac burgen. epiſcopum et finiuit eum poſtquam compleuit addiciones ſuper nicolaum de lira Anno domini 1434 Anno etatis ſue 81.* Additum alia manu: *Fuit eciam prefatus Reverendiſſimus dominus paulus Epiſcopus Sereniſſimi Regis Caſtelle et legionis Archicancellarius, ex Judaico genere natus, Et poſtquam Hebraicos doctores et ſcripturas plene nouerat in proueta etate chriſtianus effectus hunc dialogum poſt additiones ſuas ad poſtillas magiſtri Nicolai de lira ſuper vtrumque teſtamentum anno ſupradicto compoſuit et perfecit.*

In